Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1837

Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 86. absque titulo *Annales Francorum* vulgo *Eginhardo* tributi, ad quorum calcem legitur: *Exemplar huius libri inuenimus in Bibliotheca Monaſterii del Becco* (Beccum, Le Bec, de quo *Gallia Chriſt.* T. XI. *col.* 216.) *ord. S. Benedicti Rotomagen. dioc. quod quidem uetuſtiſſimum erat, et ſitu carieque confectum ac ſine principio inuentum menſe Januario 1540. Scriptum Maio.* Cum Librarii manus eadem ſit, quae ſupra in Opuſculo *Joh. Fabri Gandavi* dato, certum mihi ſit *Fabrum* ſub anni 1540. principium e *Belgio* ad illuſtre illud Coenobium, in quo olim *Lanfrancus* et *Anſelmus* claruerant, procurriſſe, hocque Theſauro potitum fuiſſe. Num Αυτογραφον etiamnum ibidem extet, non liquet. *Bouquetus* ſaltem, qui poſt *Herm. Nuenarium*, *Juſt. Reuberum*, *Franc. Pithoeum*, *Marq. Freherum*, *Andr. Quercetanum* et *J. Mich. Heineccium* hos Annales inter *Scriptt. Rer. Francic.* partim T. V. *col.* 196. partim T. VI. *col.* 174. edidit, ejus non meminit. Quod porro *Faber* ait *ſine principio inventum*, de duorum ſolum annorum D. CC. XLI. ſcilicet et XLII. defectu intellige; ab anno enim XLIII. usque ad D. CCC. XXIX. ut in impreſſis inoffenſo pede decurrit. Cum vero in *Bibliotheca Aug.* plura extent ejus Exemplaria *mſ.* inter *Codd. Hiſtoricos*, ut jam *Lambecius* L. II. C. 5. p. 401. notavit, amplior ibi erit de eodem loquendi occaſio. Hic ſolum ſpecimen aliquod praeſentis *Cod.* a *Bouqueti* edit. variantis addam. Anno DCCXLIII. noſter *Herochſeburg* (fortaſſe *Heresburg*) pro *Hochſigburg*. DCCXLVI. *Caſſinum caſtrum* pro *Caſſinam arcem*. DCCXLVIII. *Baioariorum ducatum* pro *Baioariam*. DCCLIII. *Rinum* pro *Rimi*. *Iuburg* pro *Viburg*. *Regi — nuntius uenit*, pro *Regi — nuntium accepit*. DCCLV. *ad ipſas montium cluſas* pro *anguſtias quas cluſas vocant* &c.

VI. *fol.* 151. ſub titulo *Reges francorum* ſequitur Series Chronologica a *Pharamundo* usque ad *Ludovicum* VII. expoſitis in margine annis Chriſti et adjectis annis regiminis, hoc initio: *Pharamundus marcomiris filius gentilis annis circiter XX regnauit. Anno chriſti 400. Clodio XX. 427. Meroueus XII. 450. Hildericus filius eius XX.* &c. Hanc ſeriem excipit altera *Ducum Normannorum* a *Rollone* ad *Guilelmum* dictum *Conqueſtorem*, quae incipit: *A morte Caroli Imperatoris usque ad annum quo Rollo Normanniam intravit 60 et unus annus tranſierunt* &c. Demum adjecta eſt brevis *Narratio* de quatuor *Clotharii* I. filiis, maxime de *Sigisberto*, ejus uxore *Brunechilde* et eorum poſteris usque ad pugnam inter *Theodebertum* nepotem et *Clotharium* II. ejus avunculum a. 600. ad *Antiſſiodorum*. Incipit: *Tempore quo Longobardi Italiam inuaſerunt id eſt anno 568. ab incarnatione*